Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36531
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Explicit ad Timotheum epistola secunda. Incipit prologus ad Phile-
PHILEMON ,,,,,,,,,,,,,,,,, monem.
nulla erat ecclesiasticae ordinationis praeditus dignitate. sed vir lau-
dabilis unus ex plebe, cui causa onesimi servi eius familiares litteras
facit. ut non solum ignoscat ei sed et deo gratias agat quia talem illum recepit,
ut non servum aestimet sed dilectissimum fratrem. Explicit prologus.
Incipit expositio.

PAULUS VINCTUS CHRISTI IHESU
et timotheus frater philemoni dilecto fratri et laborum nobis participi.
et apiae sorori karissimae. et archippo commilitoni nostro. et domesticae eius
ecclesiae, gratia vobis et pax a deo patre nostro et domino ihesu christo. Ut dignitatem episto-
lae se misse faceret, ab iniuria sua cepit. Sicut enim peccati causa vinciri
obprobrium est. ita econtrario pro christo custodiae vincula sustinere maxima gloria.
Eo enim tempore quo hanc epistolam misit, in custodia erat. Quamvis clericus non
fuerit philemon, tamen intererat ecclesiasticis necessitatibus causa devotionis.
Unde participem hunc dicit laborum. Sunt enim multi qui cum sint digni ex-
cusant tamen se. indignos semetipsos iudicantes tanti ministerii. Unde
vere digni apparent. Gratias ago deo semper mentionem tui faciens in ora-
tionibus meis. audiens fidem tuam et karitatem quam habes in dominum ihesum et
in omnes sanctos, ut communicatio tua accepta fiat in agnitione omnis boni
quae in nobis est in christo. Gaudere se dicit et deo gratias referre in precibus suis,
quia firmus erat in fide et bonis operibus insistebat. Qui enim diligit christum
probare hoc debet inquit cum steterit erogatum in servis apostolis tamen hoc se
dicit addere precibus ut operatio eius cum cognitione fiat bonitatis, hoc est ut
tali hoc mente operetur ut in futurum huius rei exspectet mercedem. Gau-
dium enim magnum habui et consolationem super karitate tua, quia viscera sanctorum
requieverunt per te frater. Manifestum est quia idcirco se significat letum esse
quia sanctorum necessitatibus utensilia ministrabat, unde plus gaudet et
certus ex hoc quia obsequeretur et mandatis eius quem constat esse potiorem.
Quapropter multam fiduciam habens in christo imperandi tibi quod ad rem pertinet,
et propter karitatem magis deprecor cum talis sicut paulus senex nunc autem et vinctus
christi ihesu. Quantum ratio exigebat dignum erat imperare discipulo magistrum ex fiducia apostolicae
auctoritatis. Sed quia vir bonus erat philemon, per affectum illum provocat obaudire coetaneum eius
et vinctum christi ihesu. id est obligatum negotiis dominicis. vel propter nomen eius subiectum vincu-
lis. sicut erant et ipsi apostoli. Tales etenim fuerunt iudas et silas, qui cum
ex plebe essent primores inter fratres obligaverant semetipsos dominicis actibus,
ut una cum apostolis coagonizarent propter fidem dei. Unde silas particeps